

DE
A P O P L E X I A.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA, QUAM
SENSU ET AUCTORITATE, MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS AC DIRECTORIS, SPECTABILIS DOMINI
DECANI, NEC NON CLARISSIMORUM DOMINORUM PRO-
FESSORUM, IN ALMA AC CELEBERRIMA UNIVERSI-
TATE HUNGARICA PESTHIENSI, PUBLICE ERUDITO-
RUM DISQUISITIONI, PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILE-
GIIS RITE OBTINENDIS SUBMITTIT.

JOSEPHUS NICOLAUS MÁSZNYI,

ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTER.

In Theses calcei operis adnexas, publice disputabitur
in aedibus Facultatis Medicae, die 26. Januarii 1853.

B U D A E,

TYPIS TYPOGR. REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

ILLUSTRISSIMO

DOMINO

NICOLA O K Á R Á S Z

D E

H O R G O S

SACRAE CAESAREO REGIAE APOSTOLICAE
MAJESTATIS CONSILIARIO

NEC NON

AD EXCELSAM TABULAM SEPTENVIRALEM ASSESSORI.

etc. etc. etc.

Nobis enim nostra Academia magnam licentiam dat, ut quod-
cunque maxime probabile occurrat, id nostro jure defen-
dere liceat.

Cicero.



V I R O

DEVOTIONE IN DEUM, REGEM,
ET PATRIAM,

ZELO COMMUNIS SALUTIS

NULLI SECUNDO,

ALIIS NON SIBI NATO.

ERUDITIONE, HUMANITATE, NOBILITATE,

BENEVOLENTIA, CLARO;

A C

MAECENATI SUO COLENDISSIMO.

I N

SEMPITERNUM GRATI ANIMI,

ET DEVOTISSIMAE VENERATIONIS MONUMENTUM,

PRIMITIAS HAS LABORUM SUORUM

DEVOVET

Humillimus

AUCTOR.

Denominatio.

§. 1.

Apoplexiam diversissimis saepe nominibus, a variis Auctoribus comprehendi solitam esse, diversae, ac dissentientes quidem, quae ejusdem aegritudinis apud varios Scriptores exstant denominationes, satis evidenter probant. Unde sub Aphonia, Nervorum resolutione, morbo attonito, Apoplexia, item sideratione, percussione, ictu sanguinis, paralyti cerebri, et paralyti capitalis unum, eundemque morbum a Medicis descriptum, et intellectum fuisse patebit, eorum opera scrutinio diligentiori pervolventi.

§. 2.

Apoplexiae denominatio graecam agnoscens originem, idem sonat ac latinis percussio: „percussi enim veluti fulmine subito concidunt, et resolvuntur, qui ea correpti fuere“ inquit sextus Aurelius Victor. Sed Apoplexiam etiam, et crebrius quidem cum paralyti ab iisdem Scriptoribus confusam, ac promiscue tractatam fuisse, morbi utriusque, quae exstant definitiones, extra omnem ponunt controversiam. Hippocrates enim, ejusque discipuli non solum universi corporis resolutioni, sed aliquarum duntaxat etiam partium paralyti, nomen Apoplexiae tribuere; quod ex eo colimandum est, quod linguae, aut brachii, aut partium unius

lateris, aut corporis, aut cruris, Apoplexiam nominaverint. Quot autem nominum observare licet, apud varios Auctores differentias, totidem ac multifarias sane reperies aegritudinis ejusdem faciem inquirendo; discrepantias. Plurimi enim, causam ejusdem proximam in quacunque demum ratione vitiata, ac laesa systematis sensiferi conditione radicatam sese cognovisse quidem autumabant; sedis tamen, fontis, ac causarum certe multiplicium agendi rationem variam, minus sedulo pervestigantes atque inter se se discernentes, haud evenire non potuit, ut eandem morbi efigiem, coloribus saepe multum abludentibus delineaverint.

§. 3.

Igitur inter innumeras, quae Apoplexiae, ab antiquioribus notatae exstant definitiones, duas vel proxime consentaneas dicere licet; quarum altera formam morbi praecipue respiciens, eam subitam sensuum cum internorum, tum externorum, motuumque a voluntate pendentium abolitionem, superstitie cordis motu, et respiratione, sed alias ita brevi, ut fere in ipsa accessione desiisse videatur, comprehenderit. Altera aegritudinis ejusdem naturam, qui in cerebro fiunt motuum repentinam, aut sane celerem imminutionem, ac tantam interdum, ut proxime ad cessationem accedat, aut in cessationem continuo transeat, intelligendam voluerit.

§. 4.

Tantae vero dignitatis adfectionem, quae tanta subinde ferocia incedens, ut imprimis in flore aetatis constitutos, e medio subito tollat, tanta frequentia occurrens, ut integra Familiae membra,

in exorabili sevitia enecet; quae iam aliorum morborum praecursor, miserrimas post se trahit calamitates, alias plurimorum morborum perniciosum agit comitem, eorumque tristem saepe saepius concludere scenam consvescit; quae nunc improvisè accedens, magna non nisi cum circumspectione praeventitur; comparens ardue nimis amovetur; relicta inde mala saepe omni medelae cum insigni pervicacia renuunt; tantae inquam dignitatis morbus, multorum licet ac Clarissimorum quidem Medicorum investigationis exactioris praebisset occasionem, eorumque sedulo ac omni cum respectu adumbrare conantium conamina grata quamvis, ut par est, et ego persolvam venerantia, multa tamen in eodem opere invenire licet; quae nec adusque tempus, claram, ac omni ex parte determinatam invenerint adumbrationem. Ego autem, in eodem objecto, eadem caligine obvelatus, nec, quae obscura sunt, dilucidare, nec, quae dubia sunt, verificare intendo, sed candide potius confiteor ex multorum, quae in vastissimo litteraturae medicae seminio, excrevere fructuum copia, eorum matura magis, ac concocta meis viribus digestricibus adaptata selegisse, ac in unum coacervasse; hos itaque collectos, iterumque selectos Tibi LECTOR BENEVOLE! offero fructus, ut justo tempore decerpti, tuum delectare velint gustum, iterum, iterumque ex animo opto.

Definitio.

§. 5.

Apoplexia (Guta ütés, det Schlag) unanimi Medicorum consensu, perfecta sensuum tam inter-

norum, quam externorum, motuumque fere omnium voluntati obedientium abolitio est, superstitie tamen cordis, articularumve motu, respiratione, ac reliquarum functionum, nunquam tamen normali, quae a vita organica suam hauriunt scaturiginem. Quantae autem functionum earundem in Apoplexia, reciproce eveniant alienationes, proxime patebit, aegritudinis delineationem modo subjuncturus.

Descriptio et prodroma Apoplexiae.

§. 6.

Apoplexiam a violentis causis externis, efficaciam Cerebri impediens, aut perturbans, succedentem, nulla praecire solent symptomata, ut inopinate, et ictu subito accedens, adstantes terreat. Secus ubi a valetudine adfecta oritur, saepe innumera atque varia praecurrunt symptomata, quae passim humores congestos ad Caput denotant: Vertigines, oculorum caligines, scintillationes, fulgurationes, muscarum obvolitationes, aut plane ipsius visus repentinae abolitiones, quin amauroseos aut suffusionis suspitio praecesserit, ingenium etiam velocissimum repente minuitur, obfuscatur, facilisque oblivio rerum succedit, imo qui forte antea ingenii acie, ac sagacitate erant insignes, modo stupidi hebetesque evadunt, neque rebus, ac personis, quibus mirifice delectabantur, amplius afficiuntur; vel adest agripnia, vel nimia adest propensio in somnum, nec tamen quietus aut gratus est; stertore, dentium stridore, incubo, ac terrificis insomniis turbatur, tinitus, susurus,

aut bombus auribus obstrepant, linguae balbuties loquelam tardam, difficulter intelligendam reddit, responsa dantur implexa, os distorquetur, saepe trismus, et gulae constrictio spastica observantur; albuginea tunica rubet, interdum Blepharoplegia, Ophthalmoplegia, Luscitas palpebrarum oedemata, et tumor quae palpebrae superioris functionem in levando impediunt, conspiciuntur; Faciei turgor, ruborque saepe hactenus satur est, ut minima vascula sangvifera, quasi injecta, videantur.

§. 7.

Si porro allatis symptomatibus accedat moeror insolitus, aut angor animi, si saepius animi deliquium infestet, si alter humerus identidem torpeat, alter vero altiora petat, si tactus obtusior evadat, si manus secus velox, mox minus voluntati obediat, si ex modico incessu lassitudo inconsueta cito se excipiat; si extremitates inferiores tremeant, et actiones suas rependo quasi perficiant, si membra sensu fornicationis afficiantur, si praeterea adhaec algor partium externarum, aut diutini citra febrim horrores, aut Catoche invadant, si pulsus durus, tardus et irregularis tangatur; si haec aliaque id genus phaenomena, et si non omnia, aliqua saltem, saepiusve occurrant, quin enumeratorum symptomatum dignitas ac significatio, ex alio quocunque demum morbo suam permittat explanationem, si item his dispositio ac cetera causalia momenta in Aetiologia pertractanda, suam contribuant symbolam, absque erroris periculo morbum hunc dirissimum legitime divinare poteris. — Cui in modum strenui atque animosi belliducis confestim obviam ito; ejusque consilia et ma-

chinationes promptissimis simul ac aptissimis auxiliis frangas, ac evertas, oportet. Nam si in ullo morbo: illud principiis obsta — probe observandum, arripendumque est, in hoc certe, de quo agimus, celerrima usurpatione dignum est; memoremque esse oportet experientissimi ac Cl. SCHEITEMAN-TELI dicentis: Immer werden diese Zufälle für dem Arzt wichtig bleiben, weil er durch sie in den Stand gesetzt wird, in manchen Fällen durch passende Arzneymittel und eine dienliche Lebensordnung, wo nicht die drohende Krankheit ganz und gar abzuhalten, doch deren Einbruch weiter hinauszuschieben die, wenn sie einmal zu Stande gekommen ist, selten nur durch die Kunst vertrieben werden kann.

§. 8.

Allata vero symptomata prodroma, iam per brevissimum solum tempus, ubi alias per menses imo et annos praeire observantur; quae itaque pro varia aegri constitutione, pro diversitate causarum excitantium, intensitate ac caractere morbi, variant.

§. 9.

Capitis dolore insigni, et pertinaci, aeger an-gore inconsulto obruitur, cum formicatione ad frontem, tensione cervicis, loquela impedita, et motu linguae suspenso. Nec rarum est, homines manus ad caput movere instinctos repente attonitos corruere; alios cum contremisceret aut subito torqueretur Caput, dum labia convellerentur; aut oculi rotarentur, illico corripit. Cor vehementer subinde palpat, Corpus tremit; motus convul-

sivi artus convellunt, sensuum omnium obnubilatio ac stupor protenditur, pulsus suspenduntur, saliva copiosa ex ore fluit, ac aeger corrumpit.

§. 10.

Hujusmodi igitur morbo qui obruitur, profunde dormientis, stertentisque hominis speciem exhibet, omnium sensuum in: et externorum, motuumque voluntati obedientium orbis, membrorum prolabantibus ac resolutis, ore hiantem ac spumam interdum emittente; oculis modo apertis, languidis, ac interdum convulsis; cruore effuso et vasculis capillaribus sanguine turgidis; alias oculis propulsis cum obtutu feroci, nonnunquam quasi vitrei adparent, pupilla immobili, facie saepe turgida coloratione, colore nonnunquam sanorum simili, saepe cito subsidente, et pallore suffusa, calore alias superstate, alias fugato, membris fere semper algidis. Sudor frigidus et viscidus e fronte vel e corpore universo prorumpit; sanguis subinde e naribus stillat, nec rarum est vomitum biliosum, mucosum cieri; alvo, et urina sphincteribus resolutis sponte elabentibus. Respiratio est lenta, rara, aut stertoribus, singultibusque intercepta. Pulsus quandoque a normali non multum diversus, saepius durus, fortis, aut tardus, rarus, et intermittens est. Animadvertendum insuper, frequentissime in uno latere Corpus convelli, dum in altero resolvitur, aut resolutum iam est, sicque aliquamdiu perstare; antequam universum Corpus sensu, motuque privetur.

§. 11.

Insultum apoplecticum symptomata haec concomitantia, pro morbi vehementia, numero, atque intensitate, saepe ad eum usque gradum augentur, ut ea observare, neque tempus concedatur, cum ipso temporis momento, quo hominem adgreditur, omnem vitam prorsus exstingvat; alias per brevissimum tempus durant, ut intra pauca horae minuta enecent aegrum, vel in longius tempus excurrunt, ut plura absolvant Nychthemera. Neque semper est maxima morbi vehementia, sed dantur praeterea minor, ac mitior morbi gradus; motus enim voluntarii quarundam saltem partium, extremitatum superiorum vel inferiorum, vel alterutrius lateris perstant; sensus non semper omnis deletur, quod partium stimulo quamvis non vehementissimo velicatarum motus docet; nec omnis saepe conscientia deletur, calor normalem retinet gradum; respiratio, circulatio, pulsus, vix quidpiam mutantur; ut igitur, quanta inter apoplexiam quam compellant fortissimam, ac mitiorem et mitissimam intercedat symptomatum undulatio, cuique perspectum sit.

*Differentia Apoplexiae ab aliis morbis
affinibus.*

§. 12.

Licet Apoplexia sat claris symptomatibus semet exprimat, cum tamen illa et in aliis morbis seorsim, quamvis jam plura, jam pauciora occurrant; haud superfluum erit differentias breviter adnotare; Morbi illi imprimis sequentes sunt: ca-

rus, coma somnolentum, lethargus, suffocatio hysterica, tetanus, catalepsis, crapula gravior, asphyxia, epilepsia, paralysis. Apoplexiam ab his affectionibus morborum distingvere volenti praecipuis attendendum erit, ad hominis habitum, causas praegressas e. g. fatigationem insignem, vigiliis protractas, ad paralysis praesentiam vel absentiam, ad vini fors percipiendum foetorem crapulam contractam vehementiorem.

§. 13.

A Caro difert Apoplexia, quod illo adfecti punctione vel succussione, exagitatione vel vehementiori acclamatione in auriculam, vel quocunque demum modo vehementioribus stimulis lacesiti ad tempus certe ad se redeunt, interrogatique voculis, licet semper incongrue, tamen respondeant, pulsum praeterea, et respirationem haud abnormem referant, facilius demum sine ullis sequelis residuis a morbo liberari possint. Haec eadem quoque de Comate somnolento et lethargo, utpote qui gradu tantum, eoque inferiori soporositatis a caro discrepant, quo ad Ap. distinctionem jure merito valent.

§. 14.

Discrimen quoque inter Apoplexiam et suffocationem hysterica intercedit, in hac nec totalis resolutio partium, nec omnis sensus abolitio adest, cum hystericae stimulo levissimo velicatae, punctae dolorem percipiant. Item in morbo hocce, terminato insultu, agrae eorum, quae circa illas acciderunt, recordantur, quod in Ap. haud contingit. — Confundi posset porro cum epilepsia

imprimis sub stadio illius soporoso, sed hoc stadium praecedunt semper convulsiones, et post soporem brevior, vel longior nulla remanet paralysis. — A Tetano rigiditas huic morbo propria, a Catalepsi Cerebra artuum flexilitas, clare discriminabit. — Sic a crápula foetor bachi sufficit. Motus cordis et pulsus arteriarum, item respiratio in Apoplexia superstites difficultatem inter hanc, et asphyxiam abunde diluent.

§. 15.

Quamvis autem multi ex acutissimis auctoribus autument Ap. a paralyse perdifficile esse dignoscendam, huic tamen illorum opinioni accedere nolim, quis enim non videt paralyse, quae commune sentiendi organum, ideoque proprias illius functiones, conscientiam, voluntatem, non opriment ad Ap. referri haud posse, cum hujus morbi notio in conscientia, et voluntate suppressa cernatur, et vicissim Apoplexiam non posse referri ad paralyse, quae partes a communi sensorio diversas afficiant aut saltem illud non ita labefactent, ut ad proprias suas functiones exequendas reddatur inhabile? Cui pauca haec de differentia Apoplexiae a morbis memoratis non sufficiunt, illi ad Cl. BERNARDUM PREYSINGER, qui inter sexcentos alios hanc doctrinam pertractavit, consulendum relegantur. Sed si quandoque Ap. tam violenta esset, ut simul, et semel organicas quoque functiones supprimeret, tunc ut BURSERIUS judicat non nisi ad anamnesticas notas esset illi recurrendum, qui Ap. ab Asphyxia distingvere cuperet.

D i v i s i o.

§. 16.

Variae existunt Apoplexiae divisiones. Igitur primo juste dividitur Apoplexia in universalem, et particularem. In illa totum Corpus laeditur, in hac latus unum, vel aliquae saltem partes. Apoplexiam universalem seu Theoplexiam, Panplexiam, igitur veram seu exquisitam dicimus, alteram vero spuriam, aut leviolem, parapoplexiam etiam, ac illegitimam. In Ap. spuria dum unum Corporis latus resolutum est Hemiplegia aut Paraplegia nuncupatur. Cum autem hae species paralyseos passim junctim cum theoplegia occurrere consuescant, easdem hic subungere opportunus locus videtur.

§. 17.

Apoplexia ratione loci affecti dividitur in Ap. ideopathicam et sympathicam, prout nimirum illius causa aut proxime in capite vel alibi residet, unde vim suam in caput exercent. Huc quoque divisio recentior pertinet, secundum quam Ap. pro diversis focus systematis nervosi, unde egrediens super reliquum serius aut ocysus se se dilatans dividitur; sic Apoplexiae Cerebralis, Spinalis, et Abdominalis divisio perspicitur.

§. 18.

Quoad characterem dividitur
1mo in Apoplexiam sangvineam, Ap. Plethoricam, etiam Ap. Fortium compellari solitam, a copia sanguinis vasa cerebri nimium urgentis, aut

intra ejusdem cava effusi; quam denotant laeta victus ratio, vita hilaris, et parum exercitata, aetas florens, vernum anni tempus, tempestas calida, et suppressae sanguinis evacuationes. Prodroma luculentiora, congestos humores versus caput indicant; dolor Capitis acutus et subitus et vehemens antecedit. In hac, postquam insultus hominem corripit, facies rubet, oculorum et temporum vasa turgent, calor universus imprimis capitis auctus conspicitur, oculi semiaperti fere rigent, prominentque. Respiratio stertorosa, difficilis cum copiosa spuma ad os, pulsus ut plurimum magnus et plenus tangitur, alias saepe vehementior qualis in inflammationibus est. Increscente morbo pulsus evadit languidus, lentior et rarior, respiratio paulatim minuitur, et ubi validissima est Apoplexia, ronchi gravissimi, stridor dentium, motus convulsivi, vomituritio, imo vomitus sympathice, tandem mors succedunt. Apud alios ipso momento quo percelluntur Hemiplegia accedit.

§. 19.

2do Apoplexiam Nervosam, Ap. asthenicam, Ap. a viribus exhaustis, Ap. immaterialem, Ap. convulsivam, Ap. debiliam. Haec species hominibus debilibus, teneris, qui spasms, colicis doloribus, qui hypochondriaca vel hysterica passione, qui calculis cystidis felleae praeprimis, epilepsia, aliisque morbis systematis sensiferi longius vexati fuere, qui diutinis, vehementibus, deprimentibusque imprimis animi adfectibus circumagitati, curis domesticis et aerumnis conflictantur; aut qui hemorrhoidibus anomalis, menstruis irregularibus, arthritide imprimis et rheumatismo vago diu ad-

fliguntur, hi inquam non raro Apoplexia nervosa e medio subito tolluntur. Prodroma sunt: nervorum imbecillitas, vertigo, artuum gravitas, tremor, torpor functionum nervosarum. Sub ingressu facies collapsa, pallida, hipocratica est; oculi vitrei, aspectus cadaverosus, respiratio minus stertorosa, pulsus debilis, parvus, intermittens offertur. Ap. nervosa in paralysis particulares corporis ut plurimum transit, saepe tamen adeo est vehemens ut vitam cito et subito exstingvat.

§. 20.

3tio Apoplexiam serosam, lymphaticam, mucosam, seu pituitosam, a sero, pituita, vel aqua cerebri vasa opplente, aut ipsum encephalon undequaque demum premente, inundante. Ista indicant temperamentum phlegmaticum, habitus corporis, laxus, tumidus, cachecticus et decolor; aetas senilis, vitae genus minus lautum. Causae omnes illam procreare possunt, quae aquei et lenti humoris copiam nimiam intra calvariae cavum augent. Nec tamen nimia solum ejusdem laticis intra calvariam collectio, exigua solum, repente tamen intra ventriculos praecipue cerebri effusi seri quantitas illam Ap. speciem adducere valet. Apoplexia serosa non ita subito fit, ut sanguinea; facies pallida et tumida conspicitur; venarum depressio; membrorum flacciditas et frigus, respiratio minus libera, stertor et sibillus quandoque major, pulsus depressus, parvus, rarus, varius, inaequalis, atque intermittens. Antecedunt vertigines, hebetudines, balbuties et sopor. Sub insultu oculi, os, subito aperiuntur, sic ingens lymphae quantitas esluit. Observare hic interim vix super-

fluum existimo, formam hanc in ea solum Apoplexia serosa observationi patere, ubi ex cacochymia totius vegetationis indole, ipso sanguini eadem indole communicata, systematis sensiferi conditionem demum labefactatum iri jure concludere fas est — in multis tamen casibus, Ap. serosam cum sanguinea incedere, sectiones pathologicae cadaverum perhibent, ubi serum rubicundum haud exigua quantitate intra calvariam effusum conspicitur.

§. 21.

Apoplexiae gradum a respirationis, pulsus, calorisque depravatione, metiri solemus. Sub hoc respectu, communissima Ap. divisio est in Deblem, Fortem, et Fortissimam seu Fulmineam. Licet horum signorum se junctim consideratorum, monente jam Cl. MORGAGNIO, vix tanta est fides, ut respiratione e. g. vix laesa, Apoplexia tamen gravissima esse non potest. Moderata enim atque optime ordinata respiratione, morbus validissimus, atque cito laethalis a Medicis practicis observatus fuit. Avaria labefactata syst. cerebri regione, Auctores, hujus differentiae rationem explicant: ita quidem ut in debili magis proprie dictum cerebrum, in forti et fortissima vero cerebellum, medulam oblongatam aut etiam regionem supremam Medulae spinalis offendi, autumarent.

§. 22.

Tandem pro diversarum morbosarum aliarum affectionum, a quarum existentia Apoplexia suam derivat originem, variis sub titulis eandem a diversis scriptoribus inscriptam legere licet. Hinc

Ap. metastaticam, praecipue ex Arthritide, menstruis, lochiis, aut lacte subito, et velociter retro-pulsis Atrabilarem, Traumaticam, Temulentam, Hystericam, et Hypochondriacam, Epilepticam, Scorbuticam, Syphyliticam, Febrilem, Polyposam, Praecordialem, Mephiticam, Narcoticam, Fulmineam.

E x i t u s,

§. 23.

Exitus Apoplexiae exquisitae in sanitatem perfectam rarissimus est, quamve solum in mitiori gradu morbi, absque haereditaria dispositione, et sine abnormi capitis imprimis et colli conformatione, potentiis non vehementissime in aegrum agentibus, ac solerti, exquisito et debito tempore adhuc adhibito auxilio, cum probabilitate expectare licet. Sub felici hoc exitu, organa infirma suam successive recipiunt indolem normalem, quod mitigatione symptomatum morbi essentialium, et tandem plenaria eorum abactione manifestatur. Igitur conscientia, linguae motus, vox ac loquela redeunt, revertuntur motus artuum superiorum aut inferiorum, profluvia, a quorum suppressione morbus originem agnoscit, epistaxis critica accedit, calor fugatus renascitur, et cutis sudore largo inundatur, sensus formicationis vel ustionis aut punctorius in extremitatibus, rarius vomitus, frequentius diarrhoea saburralis, urinae turbidae omni respectu criticae evacuantur.

§. 24.

Succedentes morbi Apoplexiae frequentiores nervosi sunt: memoria hebes, et idiotismus, melancholia, mania, timiditas, omnium functionum mentalium torpor. Haec vitia, praecipue a remanentibus vitiis organicis in cerebro, enasci comperitum est. —

§. 25.

Paralyses musculorum faciei, linguae, artuum singulorum, vesicae et ani, hinc loquela balbutiens redditur, salivae fluxus ex ore perpetuus, lineamenta faciei alienantur, musculis palpebrarum faciei resolutis, nervorum ramis ad musculos faciei properantibus nonnullis resolutis, quo evenit, ut antagonismus in fibris irritabilibus pervertatur, muscoli reciprocam foventes actionem, praepotendum alterius lateris muscoli non adfecti retinent, unde facies distorquetur, et habitum peculiariter alienatum exhibet. Sensus externi functionibus nervosis pessumdatis, vitiantur, pervertuntur, silent. Urina et alvus sponte ac inscio aegro elabuntur. Motuum tremores, corporis totius aut partium quarundam convulsiones, febres indolis variae, in lentam imprimis transmigrantes, tanta inquam symptomatum morbosorum caterva aegrum alias perlongam annorum seriem vexant, donec viribus vitalibus exhaustis serius ocysu insultu apoplectico, quodque adhuc frequentissime contingit aliquoties repetito, aeger tandem e medio sufferitur. Longe vero saepius Ap. aut sub ipso insultu subito in mortem abit, aut illum dolorosum eventum morbi 2do, 3tio, 5to, 7mo, 9no die summit.

Mors tunc succedens paralyseos universalis formam habet; facie pallida, collapsa, pulsu parvo, frequenti intermittente, formicante, sudoribus frigidis viscidis, ronchis sub respiratione editis, frigore Corporis cadaveroso, ostiis fere omnibus resolutis.

Sectio Cadaverum:

§. 26.

Cadavera enecatorum apoplexia, ubi morbus vi externae illatae originem suam debet, externe quoque morbi causam adeo manifestam offerunt, ut nullus de ea dubitare possit. Alias signis absentibus externis saepe ossa cranii a se invicem discedisse observatum est, quod impetu violentissimo sanguinis in sinus et vasa cerebri contigisse a Cl. MORGAGNIO persvasum habemus.

§. 27.

Caput in cadaveribus eorum, quos Ap. delevit, plerumque turgidum est, et dum ossa ejus arte separantur, copiosum sanguinem manare, frequenter accidit. Vasa omnia meningum imprimis, cerebri, cerebelli, et ipsius medulae oblongatae sanguine congesto plena et abnormiter turgentiora. Ipsorum ossium facies interna foveolas exhibet, vel vasis turgidis, vel glandulis PACHIONII lympham in crassata constitutis, respondentes. Sanguinem, aut Serum, aut utrumque simul effusum, intra meninges, et cerebrum, in ventriculis, in ipsamet substantia cerebri cavum sibi interdum formans, collectum, subinde id ita contigit, ut sero in ventriculis effuso, sanguis abundet in meningibus.

Serum limpidum, quod in canalem spinalem saepe penetraverit copiosiore effusum, in gelatinae quandam speciem omnia cerebri cava opplentem, transformatum, observatum est. Ulcera, abscessus, puris effusiones, hydatides, tumores varii generis, ac excrescentias, diversas cerebri partes occupantes, et comprimentes. Glandula pinealis mole aucta, et nimis dura, velamenta cerebri valdetensa, inter sese concreta, incrassata, pro parte osteogenesi subjecta, aut aliter vitiata. Ipsa cerebri substantia iam compactius, durius, aut etiam justo flaccidius inventa est; ærem in substantia cerebri, aut intra ejus involucra, in ipsis ejusdem vasis evolutum, in vasis cerebri, ejusque sinibus polyposus sanguinis concreciones invenisse plurimi Pathologi referunt.

§. 28.

Nunc adducenda mala rarius, et vix unquam solitaria detecta sunt. Huc spectant: mala Capitis a nativitate conformatio, suturarum abolitio, processus falciformis cartilagineam, aut osseam indolem nacta, calculi sinibus praesertim longitudinali ingenti. Vasorum et sinuum concretio, varicosa atque aneurysmatica dilatatio, carotidum ossea, aut cartilaginea durities, venarum jugularium compressio, et inminuta diametros.

§. 29.

Ad ea quae extra cranium in aliis, et dissitis magis organismi partibus anatome detexit, vitia cordis et pulmonum varia imprimis pertinent, quibus praeter Circulationem alienatam, et physicae dotes, ac ipsae demum proprietates vitales varium

in modum alienantur. Cordis et vasorum maiorum moles enormis, structura abnormis, osteogenesis valvularum cordis vasorumque principalium, polypi et aneurysmata eorundem arteriae vertebralis sinistrae protinus ex arcu Aortae, neque ut vulgo, ex ar. subclavia ortus. Concretiones Pulmonum, cum pleura, aut inter se; seri collectionem in cavis pectoris, aut pericardii insignem. Denique etiam in organis vitae propagativae imprimis inservientibus, varias et multifarias plane observare licet a statu normali aberrationes. Hinc hepar magnum, insigniter tumidum, obstructum, saxeam fere indolem induens, Lien marcidum, atrum, induratum, intestina intus valvulis suscepta, ulcere aut sphacello destructa. Calculi in hepatis substantia, in cystide fellea, aut in vesica urinaria contenti, extremi tandem surculi vasculorum sanguineorum in artubus apud individua senectute iam confecta concreti; ossificati, etc. variamque horum vitiorum complicationem, in cadaveribus eadem morte apoplectica enecatis se se invenisse, perhibent Medici.

§. 30.

Si in tam diversissimis, systematum organismi partibus causam, et sedem Apoplexiae a variis Pathologis locatam fuisse conspicimus, tunc mirum certe videtur, qua ratione accidere potuit, ut alii imo iidem etiam in partibus corporis humani saepe exiguas, imo saepe nullas invenerint deviationes. Quod inde solum colimari licet, quod existat ejusdem morbi species, quae a sola nervorum affectione repetitur, nullaque organica vitia adjuncta habeat, attamen quod subtilissima cerebri ner-

vorumque structura interna, in tanto morbo, quacun-
 que demum ratione quidem adfecta atque alie-
 nata sit, certum est; quaenam vero hujus structu-
 rae subtilissimae contigat alienatio, quae texturae
 implicatissimae mutatio, adusque tempus omnem
 scalpelli Pathologicorum effugisse aciem, omnem-
 que eluisse Medicorum conatum. Nec hoc sepelire
 volo, multas quas in cadaveribus Ap. enecatis
 observare licet, organorum a statu normali aber-
 rationes, saepe saepius effectus ipsius potius mor-
 tis, quam morbi fuisse; ut igitur magno opus sit
 ingenii acumine, quo discernatur, num abnorme,
 quod detectum est, causa mortis, num effectus,
 num porro mortis, et abnormitatis alter morbus sit
 causa.

Aetiologia.

§. 31.

Idonea causalia momenta ad siderationem indu-
 cendam in proegumena seu praedisposita, et in
 procathartica seu excitantia dividuntur. Ad proe-
 gumena referuntur: certa aetas, aetate puerili,
 tempore dentitionis 1mae et 2dae saepius invadit,
 qui tunc hoc morbo exstinguntur, extravasatum
 lymphaticum vel serosum magna Copia in ventri-
 culis cerebri continent, et in hoc casu Ap. serosa
 et hydrops ventriculorum cerebri acutissimus, iden-
 tica sunt. Porro aetas a 40 usque 60 annum huic
 morbo saepius amica est, rarissime Juvenes, aut
 Viros mediae aetatis infestat; — Item sexus virilis,
 temperamentum sanguineum, irritabile, frequen-
 tius, quam foemineum et moderata temperies in Ap.

inclinat. Habitus porro sic dictus apoplecticus per
 integra saepe Familiae membra propagandus, quem
 distinguunt, caput grande, collum breve cras-
 sum, saepe defectus vertebrae colli 7 observatus
 est; humeri lati inter quos caput quasi in pactum
 consideratur, corpus integrum crassum, staturae
 brevioris, ac compages organica magis compacta
 cernitur. Thorax multum evolutus, venter insi-
 gnis, artus torosi, oculi micantes, facies plena,
 laeti coloris, phisiognomia hilaris, virium vitalium
 exprimit vigorem. Humoribus imprimis sanguinis
 adest abundantia, hinc facies et oculi rubent, sub-
 motu corporis, et inclinatione, facies et caput uni-
 versum maiori quantitate sanguinis inundatur, hinc
 scintillatione oculorum et vertigine affliguntur,
 venae jugulares tument, ad epistaxim, et alia pro-
 fluvia sanguinis sunt prona, atque in obesitatem
 insignem saepe inclinant. Sed ex opposito debilitas
 etiam universi sys. nervosi cum erethismo prae-
 cipue juncta, ad hoc malum ex alia quamvis
 ratione disponit. Unde quia prima iam aetate,
 laboribus corporis, ac mentis validioribus, diu
 protractis, absque legitima restauratione succe-
 dente, gravantur; qui curis, aeruminis domesti-
 cis, fortunae jactura et aliis animi pathematibus
 deprimentibus prosternuntur, ac debilitatum orga-
 nismum inde repetunt, hi quoque saepius, ac in-
 opinatè quidem morte apoplectica e medio suf-
 ferunt.

§. 32.

Cum erethismo praecipue junctae debilitas
 sys. nervosi per nativitatem, aut alio vitae ge-
 nere solum tardius acquisita, illam pedetentim

induit corporis imbecillitatem, ut Ap. Nervosae progenerandae momentum exhibeat disponens; huc spectant: adfectiones hystericae ac hypochondriacae, spasmi et convulsiones omnis generis, insultus epileptici, morbi mentis, mania, melancholia, fatuitas etc. Insultus febriles characterem nervosum imprimis habentes, item diutini et pertinaces paroxysmi Febris intermittens malignae.

§. 53.

Diversissimi morbi organici, organorum praecipue, qui ad sangvificationem et circulationem conferunt, unde omnia impedimenta circulationis, qua ratione sangvis vi velociori ad caput feratur. Huc pertinent praecipue morbi cordis et vasorum maiorum, uti nimia moles, vel contra, hydrocardia, ventriculorum dilatationes; valvularum ossificationes; Aortae arcus ossea rigiditas, aut imminuta amplitudo, tumores magni et duri collo adnati, struma insignis, ar. vertebraliū, carotidum et cervicalium imminuta diametros, aut plenaria concretio, hydrops pectoris, peripneuphoniae vehementissimae, aut pulmonum inter se vel cum pleura concretione; Vasorum sangviferorum directio irregularis, per architecturam pectoris abnormem; Cyphosim, lordosim, scoliosim etc. vel morbi abdominis, ut: Hepatis, lienis infarctus, horum indurationes, ac status morborum alii; cysti dis felleae calculi; ventriculus extensus nimia op-pletione ciborum, abdomen universum, ascite, tympanitide, utero gravido, valde expansum; porro tumores, concretiones, indurationes; inflammationes acutae et chronicae, abscessus, effusiones sangvinis, seri etc. varices et anevrismata, et di-

versa alia vitia in ipso cerebro aut ipsius velamentis, et in osseo receptaculo, rem paulatim eo deducunt, ut Ap. progenerandae largiantur dispositionem.

§. 54.

Istam dispositionem ad Apoplexiam nimis properare faciunt, omnes potentiae, ac cuncta, quae universalem Plethoram aut specialem in vasis meningum ac cerebri efficere aut sustinere valent. Hinc cibi largiter nutrientes, maiori copia sumti, potulentorum spirituosorum, calefacientium, insuper calidorum et specifico stimulo sys. sangviferum excitantium, abusus. Somnus dein diu protractus; lautae epulae, vita otiosa, praepremis si vitae laboriosae, otium aut iners corporis ac mentis succedat lassitudo repentina; in hac subita vitae rationis mutatione, dispositionem ad Ap. frequentissime evolvi compertum habemus.

Inter disponentes et excitantes, seu occasio- nales causas, ut in omni morbo, in Ap. etiam imo longe saepius adeo intimus est nexus, ut eas ex-acte discernere difficillimum sit. Potentia quae modo momentum disponens Ap. est, pro vario tempore, et pro varia intensitate, pro diverso sys. organismi, aut organo, quo cum in conflictum con- greditur, saepe in excitans vertitur; causa vero excitans sub opposito rerum influxu in momentum disponens abit. Ut vero certus habeatur ordo in enumeratione momentorum excitantium, eadem ita disponam, ut discernam potentias excitantes

universales a localibus et topicis, idiopathicas a sympathicis; externas tandem ab internis.

Causae excitantes universales.

§. 36.

Aer atmosphericus inter causas excitantes universales principum sibi occupat locum, experientia edocti, tempore aequinoctio vernali et autumnali, solstitio item aestivo mense Julio et Augusto Apoplexiam plurimum dominari. Atmosphaera frigida imprimis, humida et nebulosa, frequens ejusdem temperaturae mutatio, atque repentina variatio frigoris cum calore, et vicissim, imprimis corpore sudante, unde balnei frigidi subitus ingressus, praeter alios morbos dirissimos, frequentius Ap. observata est, nec non frigus, et calor excedens, locorum porro palustrium vel etiam aere leviori et nimis tenui fruendum habitatio morbi progeniei favent. Hinc Ap. epidemicae et endemicae occurrentis exempla, serior, et recentior adnotavit aetas. Huc etiam pertinent explosiones aëris atmosphaericae electricae fulmine, aut quocunque ictu electrico vehementi causatae.

§. 37.

Porro inter causas universales referuntur: animi influxus imprimis adfectus excitantes, ira, terror, gaudium, aut deprimentes moeror, timor, afflictio; item regimen mentis obnorme, meditatio nimia, vel otium, vigiliae diu protractae, et somnus excessivus. Morbi varii praecipue febri- les, Febris inflammatoria, nervosa, putrida, puer-

peralis; intermittens maligna. Dein plethora aut vehementior sanguinis motus, vel segnities, phlogistica diathesis, noxia teneritas, et multiplices humoris vitalis corruptiones (ab acrimonia haud injuste olim repetitae) natura sanguinis valde irritans et ferme dissolvens, serosae partis excessus, aut defectus, aut vero his vitia contraria. Profluvia humorum nobilium, imprimis sanguinis, et aliorum per diarrhoeam, dysenteriam, et seminis jacturam. Diversae Cachexiae, quae stagnantem humorum motum, et secessum faciliorem in partes eorum propiores, tanquam causas agnoscunt: syphilis, scorbutus, arthritis imprimis sub evolutione non debite fota aut anomala reddita. Morbi nervosi varii, qui nervorum distensionibus, corporis tremoribus, ischuria spastica, pupillae coarctatione, angoribus, et cordis palpitationibus, doloribus artuum rheumaticis, pulsibus spasticis et anomalis praesagiuntur, morbi inquam spastici, dolorifici et alter quiscunque dolor acutissimus per manum chyrurgi excitatus.

Causae excitantes locales.

§. 38.

Ad causas excitantes locales referuntur: laesiones mechanicae; ictus ad caput saepe levis, lapsus, vulnera capiti quacunque ratione inflictata; fracturae ossium cranii, fissurae, depressiones, commotiones cerebri, arteriae ad cerebrum tendentes laesae, extravasata in cerebro sanguinea, serosa, lymphatica, hydrocephalus, exulcerationes, indurationes, scirrhus cerebri, steatomata,

callositates, vasorum coarctationes, dilatationes, ossificationes, meningum tumores, et adfectiones quaecunque morbosae aliae, per processum morificum aut non debite evolutae, aut in evolutione per causas varias retentae, metastases in cerebro provocando et inde Ap. metastaticae vocatae, pertinent; ossium cranii metamorphoses variae, exostoses, caries etc. Tandem in solatio non parvam Apoplexiae prognerandae exhibet occasionem, quae licet inflammationi magis faveat, nihilominus in dispositis Ap. producit.

Causae excitantes sympathicae.

Ad has causas numerantur: Cibi magna copia ingurgitati minimum conditi, crudi, digestu difficiles, acres, oppletio ventriculi imprimis fame urgente subito saepe Apoplexiam causavit; potulentorum spirituosorum abusus, calefacientium, inebriationes frequentes, hinc qui commensationibus epulisque lautis sero in noctem protractis delectantur, qui Bacho imprimis generosius indulgent, verbo quorum DEUS venter est, hi enim saepe saepius sub media ipsorum gulae delectatione morte apoplectica mulctantur. Oppletio ventriculi saepe ob solam pressionem in vicinum plexum solarem, prout et ictus in hanc regionem insultum Ap. produxit, atque tunc morbus nervosi characteris esse consuevit. Stimulantia volatilia, in morbis praecipue febrilibus perperam aut ultra justos limites porrecta; aetheres, spiritus aromatici, camphora, phosphorus, odores fragrantés,

et omnes stimuli systematum nervorum vehementius, prehendentés. Doses substantiarum narcoticarum majores uti. Opii, Belladonae, Hyosciami, aquae lauro cerasi, stramonii, acidi prussici, nucis vomicae etc. Huc spectant et aëres mephitici ut: gas carbonicus, ammonium hydrogenatum, cloacarum, item paludum, substantiarum fermentationi quaecunque putridae imprimis subjectarum, effluvia deleteria, exhalationes plantarum tempore praecipue florescentiae, lilii, croci, sambuci etc. quae non solum eo, quod respirationem sufflamment, verum et alio activo principio nervorum actionem pessumdante, mortem causare valent.

Porro ad hunc tribum referuntur labores et exercitia corporis ultra vires continuata, restoratione adaequata neglecta, utriusque natus velox, saltus immodicus, venus furens, cursus non interruptus, item cantus, clamor, et nixus validi, ad varias organicas functiones adhibiti. Unde sub risu effraeni, nitu violento ad alvum evacuandam, aut foetum sub partu edendum, sub magno conamine ad tussendum, sternutandumque, praesente dispositione, experientia evictum habemus morbum Apoplexiae invitatum fuisse. Huc tandem omnes numerari merentur potentiae, quae vel circuitui sanguinis obstacula ponendo, vel nervorum actionem eorumque cum cerebro commercium modo saepius mechanico impediendo, mutuum, quod inter omnia viget organismi systemata commercium pervertunt, ut vestimenta arcte corpus cingentia, praementia, collipendia imprimis thoraculorum usurpatio, zonae, bracciae.

§. 41.

Morbi per consensum Apoplexiam provocantes, aliquot adhuc enumerandi veniunt. Memorabilem encephali cum cute, abdominis visceribus aliisque organis consensum physiologia docet. Unde morbi exanthematici retropulsi, variolae, scarlatina, morbilli, erysipelas faciei, impetigines, imprimis tinea, herpes, scabies; pedum sedementa sponte retro pulsa. Profluviorum aut naturalium aut habitualium, ut lochiorum et lactis in Puerperis subito e mammis retrocessio, aut haemorrhoidum, mensium, epistaxeos sudorum habitualium pedum vel sub axillis, item venaesectionis consveto tempore, aut evacuationum suppressio, emansio, aut omissio. Porro singularem respectum merentur, organa abdominalia digestionis praecipue dicata, metamorphoses abnormes Lienis et pancreatis imprimis vero Hepatis, porro status intestinorum pituitosus, plethora abdominalis, vermes, polycholia atque cruditates aliae. Quae causae Apoplexiae adeo frequentes sunt, ut inde Apoplexia suam nanciscatur denominationem, sic. Ap. Gastricae, biliosae, pituitosae, verminosae.

Causa proxima Apoplexiae.

§. 42.

Dum catervam potentiarum, intimius perlustrarem, earumque agendi rationem, et modum quo id efficiant, ut Ap. successive alias pedetentim, nunc vero ictu subito evolvatur, hoc vel proxime compertum habeo, omnes potentias externas et

internas in eo vel maxime concordari, quod actionem centralem system. cerebri perturbent, sufflamment, et pervertant, idque tandem praestare, ut actio haec ad summum animalitatis potentiam elata, ad extinctionem properet. Ratio vero, modis variis ac oppositis exeritur, quae effectum tristem exoperare conantur. Aliae earum vires corporis exhauriendo, vitalitatem pessumdando, aut habitualement system. sensiferi stimulum subducunt, aut aliorum organorum actionem, cum cerebro intime junctorum pervertunt, unde non solum harmonicis consensus tollitur, sed et vegetatiioni materia nutriens restauransque subducitur. Hanc agendi rationem exercent, haemorrhagiae et humorum nobilium jacturae, morbi indolem vegetationis pervertentes, uti: cachexiae variae, et adfectus animi mentisque deprimentes. Aliae vires system. cerebri non exhauriunt, sed in actione sua reprimunt, coercent et quasi suffocant, quo impediunt actionem suam libere exercendi. Hoc effectu insigniuntur potentiae ideopathicae praepreprimis cerebrum comprimentes, extendentes; majoris seu sanguinis seu seri et aliorum humorum, aliunde per processum morborum saepe specificum crisi instante cerebrum irruente; hinc et Ap. per metastasim frequentius occurrentis intelliguntur ortus, et inde metastaticae nomen ferentis. Sed sunt potentiae system. cerebri actionem directe exhaurientes, sicque cito mortem adducentes, ita narcotica valentissima, majori dosi data, ictus electrici fortissimi, fulmine e coelo inflicti. Aliarum demum ratio, qua Ap. insultum aut mortem provocant est mixta, ut jam unum jam alterum effectum ponant, pro vario

tempore quo corpus impetunt, pro varia ejusdem receptivitate, pro varia vi substantiae nocentis, et actionis influxu, et quantitatis ratione. Exemplum hujus rei narcoticarum substantiarum modus agendi varius praebet. Narcotica enim effectum ultimo quidem, energiam vitalem in syst. nervoso exhauriendi, conveniunt, effectus tamen eorum primarius, qui in eo consistit, humorum majorem copiam versus caput ferendi tantus saepe est, ut inde jam, et citius quidem, quam propria virtute Ap. inducere possint.

§. 43.

Si autem tam multiplicium potentiarum, effectus ultimus, qualicunque modo provocatus, unus idemque est, si porro omnes, ratione licet multifaria atque opposita in eo demum inter se concordent actionem intimam cerebri, aut partium quarundam singularium pervertendi, exhauriendi, extinguendique, naturam morbi, seu ut ajunt causam proximam, non amplius in convulsione durae matris quaerendam aut in cerebri compressione, aut in sublato commercio, inter corticem cerebri et medulam, aut inter medulam et reliquas corporis partes sensui saltem et motui voluntario intercedit, sublationem, nec in spasmodica constrictione nervorum vasorumque encephali, quaerendam oportet. — Potius in subtilissima ac interna actione cerebri, seu eam cum apparatu electrico aut processu galvanico simile quid moliri affirmes, seu actionem hanc a virium bipolarium in ipsa intima cerebri substantia ad summam puritatem elatam dualismo, ac conflictu, emanantem praedicere placeat, inti-

nam hanc, nec acutissimae huc dum ingenii aciei satis perspectam virium lusum cohiberi, et sensim extingvi credo. Quae vero eandem efficere valent virium abolitionem omnes, ac simul in effectum suo congruere clarum, nec naturam mali inde essentialiter diversam reddi, sed modificari solum potius autumo. Una igitur ac eadem Apoplexia est, seu illa nervosa, sanguinea vel serosa vocetur. Licet assertionem hanc non negaverim, harum divisionum utilitatem et necessitatem maximam esse, sine qua nec morbum recte cognoscere, nec adaequatam curam instituere valebit Medicus.

Prognosis.

§. 44.

Inter morbos crudelissimos, qui homini subitaneum periculum minantur, et Apoplexia refertur. Rarissime enim quem semel visitavit, absque omni labe relinquit, pessima potius post se trahit mala, et licet liberatus, dispositionem tamen ad recidivam relinquit, et omnis insultus serior, gravior, et periculosior esse consuevit. Nulli sexui aut aetati parcat, quod tristissimum est viros libentius optima aetatis, Familiae integrae fulcra, qui acumine ingenii excellunt, saepe inopinante impetit, enecat. Saepe momentanee interimit, aut post aliquot horas, vel die altero, 3tio 7mo vel 11mo. Mala inde orta medelis saepe insigniter resistunt, eaque multiplicantur et gravantur magis, quo insultus fortior fuerit, quae si diebus primis aut septimanis non dispareant, non citius ac cum ipsa vita disparebunt. Senes potissimum plethori-

cos, otiososque, atque eos, quibus cerebrum labe haereditaria, aut morbo aliquo debilitatum est, vix non semper orci faucibus tradit.

§. 45.

Frequentius in Ap. crises materiales eveniunt, et manifestis evacuationibus criticis contingentibus, morbus saepe licet vehementissimis symptomatibus stipatus mitigatur, solvitur. Igitur boni ominis sunt: sudor largus, universalis, tepidus, urinae largae, turbidae, cum copioso sedimento lateritio, vomitus mucosus, biliosus, saburralis, diarrhoea ejusdem indolis tunc imprimis, si morbus e colluvie gastrica suam repetit originem; profluvia sanguinea, si ex iisdem suppressis orta est, haemorrhoides, epistaxis, catamenia denuo fluant, defluxus muci tenaciset humoris serosi e naribus, ex ore, saepe et salivatio. Si eadem ratione, qua conscientia, et sensuum usus revertitur, paralysis in extremitatibus enascantur, vis morbi ex cerebro in nervorum ramos dissitos deduci videtur, et ideo a plurimis criticae habentur. Quo plures et manifestiores sunt causae disponentes, et quo causarum excitantium actio vehementior et diuturnior, et quo minus facile abigi possunt, eo pejorem prognosim pronunciare valebis, contrariam contrariis assignare valebis. Pessima tandem prognosim, ubi vitia organica cerebri sensibus patent. Desperatum porro est praesagium in Ap., quae ex aliorum morborum characterem maligno notatarum infausta pululat metastasi, hinc Ap. metastatica ex lactis, lochiorum, arthritidis, Febris intermittens malignae et nervosae crisi infausta provocata, intra paucas horas plerumque interimit.

§. 46.

Specialius. Apoplexia sanguinea periculosior est, quam serosa, nervosa fere semper est levis. In sanguinea, si sanguis e vasis effluerit, vix sperari potest, ut discuti et resorberi possit, aut ut eorum oscula occludantur. Serosam saepius excipit hemiplegia aut gravior paralysis partium quarundam, oblivio, fatuitas, langvor. Apoplexia levior in Individuis nervosis quae convulsiva dicitur, ut plurimum sponte solvitur post aliquot horas, vomitu, diarrhoea, sudore, urina, vel alia peculiari excretionem, ulla sui relicta nota, vel tantum levisima in ore, lingua, vel alia aliqua corporis parte. Variat quoque prognosim, pro diverso gradu, in 1mo gradu est satis laeta, in 2do minus, in 3tio semper tristis.

§. 47.

Mala erit porro prognosim, dum faciem oblongam, hippocraticam exhibent, dum respiratio difficilis est et inaequalis, dum ronchos aegri continuo trahunt, et ad os spumant, nullum signum sensibilitatis edentes, cum pulsu celeri, inaequali, intermittente, item impedita gluciendi potestate et potulentorum per nares redditu, porro dum sudor frigidus ex universo corpore aut aliqua ejus parte erumpit, ubi urina et excrementa sponte et clam elabuntur, vomitus immanis, aquosus sordibus gastricis minime praesentibus aegrum divexant, ubi convulsiones et tremores se excipiunt, corpus vero frigidum, pulsus exiguus, filiformis, intermittens tangitur. Demum si abacto malo, anxietas singularis, et nimia superveniat. Interim monente

Cl. MORGAGNIO morbus saepe gravis aegrum sanitati restituit, ubi (rarissime tamen) levior aegrum enecat.

§. 48.

Mitior Apoplexia minus periculosa; sed paralytis saepe, aut imbecilitatem alicujus partis relinquit. In sideratis succedentes haemorrhoides utiles sunt, item in sideratis, si febris accedat, solutio fit morbi, perhibent aliqui Auctores. Quomodo-
cunque se res habeat, id experientia compertum tenemus, febris ipsam quidem Apoplexiam et morbum nervosum solvere nequit, sed febris Ap. accelerat decursum et morbum ad exitum faustum vel infaustum citius perducit; Crises dein materiales sollicitando, suppressam functionem nervorum errigendo, et totam dispositionem aegri emendando, utique morbum solvere valet.

§. 49.

Quid de morbis sentiendum sit, per Apoplexiam et sub ipso insultu provocatis, aut serius eisdem supervenientibus, ex varia horum natura, intensitate, partis adfectae dignitate, et sic porro aestimare convenit. — Paralytes particulares, et ipsa quoque hemiplegia, si superstes sensus, calor, et nutritio in parte resoluta sit, neque arteriarum motus ex toto deficiat, magnam spem curae faciunt. Sub opposita rerum conditione per se prognosis inlaescit. Si demum frigus, et marcor partem occupet, ea fere semper incurabilis est paralysis. Nec rarum est ob diuturnam musculi paralytin, ejus antagonistam praevalere, et membrum cui affigitur, suam originem

versus trahere, unde contractura et rigor oboritur. Interdum partes resolutae atrophiae ita arescunt, ut musculi, tendines, et ligamenta ossium decurtata rigeant.

Therapia.

I. De cura Apoplexiae praeservativa.

§. 50.

Centeni dantur casus, ubi Medicus Apoplexiam jam jam imminentem retardare, dispositionem imminuere, causas excitantes, et earum effectus aut evitare, aut debilitare, atque sic vitam et sanitatem conservare novit, et qua ratione id fiat, sapienti consilio monet, svadet, docet, ut itaque appareat ambitum Medicinae hodiernae ita esse ampliatum, ut curis Medicorum non solum laesa, et abnormis, sed et integra quoque et normalis vita committi debeat. Ad hoc vero illustrandum oportet haec prophylactica recensere.

§. 51.

1. Quos insignis animi intentio, ad diathesim Apoplecticam disposuit, iis svadendum erit, abstinere, verum solum successive, a seriis negotiis; profundam meditationem exposcentibus, porro proderit se balneis tepidis occupare, atque antiquo generoso vino, moderata dosi cor exhilarare. 2. Vehementem affectum et pathematum vim, physiologicè et psychologice infringere oportet, (non vero rudi empyria venam aperiendo) sic uti est Gaudium subitaneum excedens, atque ira bul-

liens; superato tantisper impetu irae et gaudii, non absre erit, cibus eupeptis e regno animali desumptis, modico aromate conditis, cum parco vino, et apud quosdam dosi convenienti opii, debilitatem per pathemata vehementiora inductam sufferre, saepe et praecipue junioribus plethoricis, aut alvi obstructione tentatis, potus mucilaginosi, nitrati, et his congrua antiphlogistica praeclare conducunt. — 3. Fortes et diurni corporis motus, aestate atque sole nimis urente peracti, vires prosternunt, ne tamen totaliter exhauriantur, ne postea valde delassati Apoplectice pereant, oportet acida mineralia, imprimis elixirium acidum Halleri cum aqua frigida, vel quacunque ratione exhibere. — 4. Coitus et amplexus venerei nunquam transgrediendo limites moderaminis, nec post usum spirituosorum, aut ventre cibus onerato, praesertim senibus, celebrandi. — 5. Sternutationes crebriores, irritatione sys. nervei v. g. frictione in aliis partibus praepediuntur. — 6. Excessiva vigilia debilitatis, stimuli aromatici volatiles, uti sunt: Valeriana, chenopodium ambrosioides et similia nervina bene cedunt. — 7. Odores vehementiores, plantarum vel aliarum substantiarum, noxii, corriguntur aere puro, fomentis aqua frigida paratis, cranioque adplicitis, item anatripses spirituosae laudabilem praebent prophylaxim. — 8. Periculum appropingvantis Apoplexiae per inspirationem gasis mephitici vel per vapores narcoticos inductum, aere puro, praecipue oxygenio arte evoluto, dein aceto forti, naribus admoto, temporibus infricto, interne autem aethre acetico, potu Coffeae et similibus optime superatur. — 9. Praedispositis ad Ap. urente syrio temperaturam

in suo cubili frigidiusculam conservare, nec illam repente mutare, item ab omni intensiore calore horrere; caput aqua frigida lavare, eupepta edere, vina acidiuscula cum aqua bibere maxime convenit. — 10. Abusus potuum inebriantium ne provocet Apo.; convenit ante omnia aqua tepida vel irritatione faucium vomitum ciere, dein pediluviorum tepidorum usum, et rationalem infusi coffeae instituere. — 11. Dum metus est, ne cardiaca vel narcotica insultum Apo. invitent, exhibeantur volatilia indolis contrarie, ut sunt: Camphora, Coffea, et similia quae sys. nerveum stimulant, et ad aequabilem energiam disponunt. — 12. Suppressio, se: et excietionum non inducet Apo. si quanto ocyus, fomentationibus calidis et similibus stimulis, humorum tendentia determinetur, vel si vicariae se: et excretiones excitentur v. g. per vesicantia, hirudines venaesectiones. — 13. Affectus animi deprimentes, ex varia causa nati, diversam agnoscunt curam, fulcient psychicum tractatum aliementa eupepta, bene nutrientia, vinum generosum moderate sumtum, et balnea tepida. — 14. Taedium temporis, supina negligentia, defectus occupationum, fuga laborum, Apo. procreare solent, nisi talia Individua prudenti consilio, ad amoenas virium psychicarum occupationes, alliciuntur. — 15. Si metus sit, ne saburrae gastricae Apo. insultum inducant, evacuationes, nec vero debilitantes, suscipiantur; hinc emetica antimonia et purgantia rhabarbarina cum sale ammoniaco depu: et flavedine corticum aurantium vel similibus, porro Clysmata stimulantia tutissime adplicantur. — 16. Repentina formae morbi suppressio, non excitabit Apo. si asthenia morbosam

activitatem immutans vel nisum naturae suppressens stimulis debitis interne datis tollatur; externe vero organa, quae adfecta erant, vesicatoriis, in frictionibus, fomentis tepidis, et scarificationibus excitentur. — 17. Dum longior abstinencia a cibis, fames, vel largiores evacuationes, debilitatem Apoplecticam jam induxerunt, ut ulterior progressus inhibeatur; alimentum bene nutriens, aromatibus conditum, saepe sed refractis dosibus porrigantur, oportet; sic jus carnis concentratum cum vitello ovi, non nihil pipere, nuce moschata, item panis biscoctus, panatella, cum cinnamomo et vino generoso. — 18. Apoplectica opportunitas per defectum motus, et per diuturnum somnum inducta stimulis volatilibus, balneis tepidis, frictionibus ope lintei calidi item laboribus moderatis optime fugatur. — 19. Frigidus et humidus aer, licet uberrimus, torpiditatis et laxitatis fibrarum nervearum, fons sit; nihil tamen nocebit, et Individuis ad Apoplexia maxime pronis, si refrigerium diligenter eviare, pedes et abdomen sicco calore fovere, cubilium temperaturam moderatam conservare, non intermiserint; item victum leniter aromaticum animale, cum moderato generosi vini vel medicamenti usu observaverint, alimenta vero aquosa, discepta, debilitantia; fructus, farinacea, legumina et similia deserperint. — 20. Frigus rigidum hominibus eisdem aevetis non ita facile Apo. inducet, dummodo potuum stimulantium spirituosorum usus nimius non fuerit, — 21. Senes ferreis fati legibus succumbere per Apo. trepidantes, bene sibi consulunt, si praeter balnea tepida, victum animale eupeptum, vini usum moderatum, et debitum, huic-

que aetati accomodum virium exercitium; ad residuam vitam prolongandam, temperantiam omnigenam, omni quidem aetati proficuum, sed imprimis pro vectae necessarium, ad amussim observaverint. — 22. Post violentias externas, praessionem a sanguine, sero, pure, frustis osseis, auxilio chirurgico amovere debemus. Vulnere cicatriscari non permittuntur, sed potius externa suppuratio intertenetur, aliturque, ut interna similis morbosa conditio exitialis antagonisticè impediatur, et imminuatur. — 23. Illis, qui habitum apoplecticum offerunt, seu constitutionem corporis congestionibus ad caput faventem, sequentia proponerem: Evitent omnia scrupulose quae congestiones sanguinis ad caput excitant; hoc respectu sint in cibo et potu frugales, in affectibus ac pathematibus moderati, pedes calido et sicco tegumento foveant, collaria unquam stricta, positio corporis in quantum possibile semper erecta et raro incurvata, situs capitis tempore somni elevatus, adsvefaciant se ad sedes alvinas statuto tempore absolvendas, difficultates pectoris quanto ocyus removeantur. Proderit porro caput aqua frigida irrorare, et nunquam calore fovere; si vero insultus Apo. prodromis se insinuet, illi quo citius obex ponendus est, moderata evacuatione sanguinis (definiat Medicus an universalis vel topica) neque tamen oportet nimis liberalem aut prolixiorem esse cum sanguinis profusione, niforsan dispositionem ad Apo. acuere potius quam obtundere velis; sed potius talia adhibenda sunt, quae congestionem sanguinis in capite minuunt, activitatem morbose exaltatam sys. vasorum deprimunt, et energiam sys. nervosi elevant. Huc praecipue spectat: Elix-

rium acidum Halleri, acidum phosphoricum et alia acida pura jure referri merentur.

II. De cura Apoplexiae Therapeutica.

§. 52.

Prout commodissimam nec non utilissimam Medicorum practitorum, Apoplexiae esse divisionem, in sangvineam, nervosam, et in serosam, ita aequum mihi videtur, hoc quoque ordine curam Apop. specialem fore pertractandam.

§. 53.

In Apopl. sangvinea diagnosis non ita facilis, quam multis imprimis profanis, videtur; quae tamen ex Individui, causarum phaenomenorum, habitus Corporis, dispositionis, vitae generis, temperamenti et insultus Apoplectici praegressi notitia, petitur; quam praeterea causae excitantes et praesentia phaenomena confirmant; sic subitanea humi prostratio, sensuum tam internorum quam externorum, cum motu voluntario abolitio; relaxatio musculorum ac sphincterum.— Item signa plethorae uti: turgor nimius capitis, rubor faciei, albugineae, et colli, lividus, oculi protuberantes, os apertum salivam fundens, lingua prominens, venae Jugulares plenae, carotides vibrantes, respiratio profunda, stertorosa, abdomen plerumque tumidum, vomituritio, aut vomitus, calor cutis auctus, pulsus plenus, fortis, durus. Tandem hanc formam morbi ipse character stationarius inflammationibus favens, praesens, illustrat.

§. 54.

Ad apoplecticum vocatus Medicus, primam intentionem habeat ut aegri quies concedatur, nam corpus agitare nocet. Collocetur Individuum ad dorsum, situ supino horisontali, capite paululum elevato, ita tamen ne mento sternum attingat aeger. Vestimenta uti: collare, ligulae et id genus alia, exuantur, solvantur. Aër in sinu aegri sit purus, renovatus. Absit calor imprimis fornacum, cubile angustum, exhalationibus hominum repletum, nocent verò omnia, quae circulationem abnormem, et humorum congestionem ad caput, promovere valent. Interim perpendat, cujus temperamenti, aetatis, habitusque sit aeger, et quo vitae genere, dum valebat, uteretur. Item quae causae morbum praeiverint, et quae eidem occasionem dederint. Quae vires ejus ante et praesente morbo sint. His exacte consideratis, therapiam congruam adhibere valebit. Ubi ergo, cerebrum, vel copia, vel impetu, vel mora sanguinis premittitur, urgentissima indicatio est, copiam imminuendo, et ejus congestiones versus cerebrum, revocando; quare sanguinis evacuationes suscipimus, manu liberali, et vulnere lato, praesertim si aeger valde plethoricus sit, aut aetate et viribus vigeat. Quantitas, ab aegri viribus, aetate, habitu, sexu et imprimis a pulsus magnitudine et robore, faciei rubore et turgore desumitur. Dantur, qui sanguinis detractionem in phlegmaticis, melancholicis, senibus, pueris, atque gravidis, prohibent. Ast eos experientia Hippocratis, Arethaei et Medicorum fere omnium, refellit; proin si vires non desint, aut si solum suppressae fuerint, ob ni-

miam sanguinis abundantiam, adulto vena brachii, et quidem resoluta, oppositi, si hemiplegiacus fuerit, quo observationes, monente Aethaeo, et post VALSALVAM, MORGAGNIO, utilius esse docent, illico tundatur, atque sanguinis unciae 12 detrahantur. Pulsuum intermissio, aut inaequalitas, sanguinis subtractionem non prohibent, nisi alia signa defectum virium vitalium demonstrantia adfuerint. Dum detractus sanguis prima vice non sufficiat, iterari debet post 3 horarum spatium aut etiam citius, pro circumstantiarum praesentia. Aliqui subtractionem sanguinis ex pede, alii ex brachio institui svadent. Opportunum locum sagax circumstantiarum, indicabit consideratio. Ex pede et quidem resoluta, in hemiplegia sanguinem utilissime detrahi observavit LANCISIUS. — Occipiti cucurbitulam, prius incisa cute profundius, apponi, atque hinc sanguinem extrahi, imprimis ubi jam aliunde largiter effusus est, aut vires e venis eum effundi vetant, utilissimum quoque est. Venae enim occipitales, ut alii externe Jugularis, surculi communicant in juvenili praecipue aetate, cum venosis meningum sinibus. — Hac sola repetitis vicibus in occipite profunde scarificata ZACUTUS LUSITANUS Juvenem resoluta jam pulsu, ut in horas moriturus videretur, ad alia auxilia ferenda imparem restituit. Alii vero cucurbitulam, non occipiti, sed vertici sive syn-cipiti imponendam docent, quo praesidio utilissime in quadam Virgine Vestali apoplectica usus fuisse FRACASTORIUS fertur. Ad latera etiam colli defigendas, scarificandasque cucurbitulas esse, monet MEADIUS, uti HALY, ZORESTUS, et SCHENKIUS ante eum proposuerant. Proficuum porro est,

eam tam siccas quam scarificatas, aliis etiam corporis partibus admoveere, dum modo dorso parcat, ne motum respirationi inservientem, jam languidum praepostere intercipientur; licet, id a DODONNEO non videatur satis animadversum, cum eas posteriori thoracis regioni applicitas plurimum celebraverit. — Qui ipsas dorso admovent, aegrum non primum in pectus collocare, sed in latus reclinare, quo respirationi minus officiat. Imminuendi revellendique sanguinis scopo et hirudines, non tantum temporibus, et pone aures, sed etiam ano adplicantur, praecipue si ab haemorrhoidibus aut menstruis suppressis aut ab hypochondriacorum affectibus Ap. promanaverit. Utiles porro erunt, ubi aliam causam habuerit, dum praesertim venae aliae commode, et tuto haud aperiri potuerint, sed tunc universo Corpori aut saltem pluribus partibus, ut uberior detrahatur copia sanguinis, admovendae sunt. —

§. 55.

Subducto sanguine alvum evacuare oportet, clysmate, nec nimis acro, nec calido, ne spasmi in imo ventre excitentur; exterminatis crassioribus excrementis, dum aegro facultas deglutendi viget, exhibenda sunt Eccoprotica antiphlogistica, ut lenis alvi fluxus cieatur. Cum autem in vehementiori Apop. ani sphincter saepe resolvitur, et deglutendi actio suspenditur, eo in casu alvus suppositoriis adjuvanda est. Si id irritum foret etiam fumus nicotianae in anum insufflari potest, ut eo motus intestinorum peristalticus incitetur, sed ab ejusmodi remedii usu cane pejus et angve cavendum, in Apopl., quam fumus carbonum, aut

abusus nicotianae aut alii noxii halitus induxerunt. Interim si necessitas id postulaverit, Medicum semper in hoc negotio cautissimum esse oportebit. Decoctum foliorum nicotianae dilutum, fumo tutius esse videtur. —

§. 56.

In nullo morbo animosius, quam in Apop. se gerunt Medici, ut quovis artis auxilio, aegrum stupore multo detentum, excitare possint. Multos videre est, qui RIVERII atque HELMONTII experientia confisi emeticis promiscue et temere ad aegros excitandos, utuntur, seque Cl. Celsi auctoritate fortiter tuentur, dicentis: „melius esse anceps experiri remedium, quam nullum,“ ubi res fere ad desperationem devenit! — Ast observatum est, multa emeticorum usum prohibere, uti: Corpus obesum, collum breve et crassum, angustiorum thoracis caveam, ventris amplitudinem, plethoram, proclivitatem ad sanguinis vomitum, aut sputum, organica pulmonum, praecordiorumque, vitia; oculorum gravem adfectionem, capitis imbecillitatem, tumores magnos colli, praecipue glandulae Thyroideae, enterocelen, ventriculi ulcus, aut scirrhus, uterum gravidum, peculiarem idiosyncrasiam ad vomendum adversam, aetatem senilem, et decrepitam, regionem et anni tempus hyemale. Porro nullus sanae mentis negare audebit, maxime ominosum esse, emeticum exhibere in ea apop. quam vasa cerebri, aut praeter modum sanguine distenta, aut rupta, aut corrosa effecerint. Quis enim non videat, vomitu sanguinem uberius et validius ad caput propelli, ejusque inde refluxum impediri, sic ut vasa ipsa

semper magis turgescant, atque facilius citiusve ruptioni aut dislacerationi subjiciantur. BURSERIUS adnotavit casus ubi in Apop. partiali, dato emetico, haec in universalem transivit, mortemque intra paucas horas adduxit. Quapropter in Apop. sanguinea, imprimis exquisita, exulent omnia emetica, quippe quae non indicata, et plurimis practicis Medicis, praepremis MORGAGNIO explosa. Quot si tamen emeticis locus aliquis concedatur, in ea fortasse cum BAGLIVIO atque HEISTERO dari poterunt, quam nimia ventriculi oppletio, alimenta venenata, aut opium paulo ante assumpta fuerint. Quia vomitu vel vomituritione, quae Ap. saepe antecedunt vel ejus comites sunt, indicationem pro emetico facit, pro minus perito merito habetur, cum actio haec sympathica sit, a cerebro male adfecto, non idiopathica, quae distinctionis ratio omnino habenda est. —

§. 57.

Non raro etiam revellentia atque excitantia adhibentur, ut Apoplecticus ad se redeat. — A capite et cerebro optime revellunt, balnea tepida, in quae pedes demittuntur. Pariter revellunt et simul sensum et motum membrorum acuunt: ligaturae, frictiones, epispastica, sinapismi, et vesicantia; aliqui feramentis candefactis, plantas pedum aduri vel acubus volas manuum pungi, aut aciculas sub ungvibus adigi, quo tormenti genere excitatos aliquando fuisse apoplecticos narrant, qui aliter excitari non potuissent. Haec ubi alia auxilia irrita fuere, vix magnos effectus, producere in Apop. exquisita censerem. — Interim in Apop. sanguinea vix ea indicari, quae humores exagitant,

aut nimium motum cient; hinc errhina, etiam sternutamenta et volatilia acria valde suspecta habentur. Siquid naribus admoveri liceat, esto id acetum vini, oleum succini, ejus sal volatile vel spiritus melissae, quibus et lingua et os, et torpentina membra perfricari poterunt. Interne vero si fieri potest, ea porrigenda sunt, quae diluunt, quae temperant, et leniter resolvunt, uti: serum lactis, decoctum hordei dilutum, florum tiliae cum nitro, atque oxymelle, aliaque his similia.

Momenta reconvalescentibus ex Apop. maxime proficua in bromatologiis satis descripta occurrunt, ex quibus quae absque magno stimulo nutriunt et syst. nervosum leniter mulciunt, roborantque haec sunt: Oryza, hordeum decoctum, grana sago, salep, gelatina animalis, lac, lichen islandicus, in decocto lacteo, Chiocolada ex lichene ex faba Cacao, balnea emollientia, ceterum non semper sufficit, ad recidivam Apop. effugiendam sola media hygienica adhibuisse, sed et prophylactica, quae supra tradidimus in usum vocanda veniunt.

§. 58.

In Apoplexia nervosa saepe prodroma antecedunt uti sunt: sensuum externorum imbecillitas, vertigo tenerbricosa, artuum gravitas, tremor, torpor, affectus hysterici atque hypochondriaci graviores, et diuturniores. Instante Apop. extremitates frigent, cutis arescit, arteriarum praepremis carotidum pulsus augetur, fitque durus. His saepe gravis cephalagia, et convulsiones extremitatum adsociantur. Ipso malo enato, facies collapsa, pallida, uti in aliis speciebus, obruuntur

tur somno, pulsus debilis, parvus, vacuus, — hanc morbi speciem porro; Individuum sensibile, morbis spasticis, convulsivis soporosis, pridem subjectum, causae tales praegressae, quae potius ad nervosam, quam aliam Apop. speciem, disponunt, scilicet: vita sedentaria, studiis dicata, animi pathematibus subjecta etc. confirmant. — In hac Apop. Medicus omnes ingenii nervos exactissime intendat oportet, ut morbi naturae convenientissimum curationis consilium sequatur. Unde omnium primo summus causarum excitantium respectus habendus est; an ne tales quae extra ipsum sunt, et ex natura externa in eum egerunt, et fors ad hucdum nervis impactam diathesim sustineant? uti: narcoticae substantiae, gas irrespirabile, nimium frigus etc. aut num potius tales, quae ex ipso aegri individuo cerebrum jam male adfecerunt, et ad hucdum adficiunt, ut Apop. enata fuerit, et sustineatur? uti: profusae evacuationes, debilitantes, sanguinis, seminis, diarrhoea, dysenteria etc. atque his cognitis, agat oportet Medicus, ut pravi hi influxus amoveantur, et effectus potentiarum morbosarum quantocius, quoad fieri potest, tollantur; quae cuncta, qua ratione exequi necesse sit, ex iis, quae in praegressis adtullimus, patet.

§. 59.

Remotis potentiis morbum provocantibus, eoque adhuc perstante, Medici ulterior indicatio erit, vim nerveam exhaustam resuscitare. Hoc scopo si aeger deglutire possit, pro interno usu ordinantur: arnica, valeriana, angelica, imperatoria, aliaeque plantae efficaciores aromaticae in in-

fusis aquosis vel vinosis. Item in hunc scopum adhuc porriguntur: Camphora et olea aetherea cuncta, remedia ammonialia uti: Sal. volatile Cornu cervi, Spir. salis amoniaci causticus, Spir. salis ammon. succinatus, et diversae Tincturae uti: Valerianae, Castorei, etc. Tandem etiam Moschus, et qua maxime stimulans, in connubio cum oleis aethereis, aut alio quodam menstruo volatili, summa cum cautela adhibendus, phosphorus, adversus hanc Apop. speciem in auxilium vocari potest.

— Remedia externa: aromatica et spiritiosa qua odoramenta adhibita, uti: oleum Citri, Bergamotae, Caryophyllorum, acetum aromaticum, spir. Camphoratus, lavandulae, rorismarini, naribus admota. Porro nares errhinis excitantur, uti: pulveribus nicotianae, piperis, sachari, majoranae inflatis ad nares, allio, cepa, discissa naribus admota, et oris labiis attrita, — Balnea irritantia: ex aqua communi cum infuso herbae menthae, melissae, lavandulae, rutae, vel sapone, sale, cineribus, vino, spiritu vini, aceto ea quantitate admixtis, ut horum odorem et saporem contrahant, parata. Frictiones, fortiores tam totius Corporis, quam topicae: regioni e. g. cordis, plantarum pedis, volarum manus, cum scopulis setosis, in horum defectu foeno vel stramine, crurum, brachiorum, plantarum, — vesicantia fortia, nuchae vel brachiis adplicanda; Rubefacientia ex fermento panis, farina seminum synapis, armoracea, sale et aceto, quae pilis derasis, et frictione cum aceto vel allio praemissa, regioni cordis, suris, nuchae, brachiis adponuntur. Inter ceteros eminent Electricitas et Galvanismus caute adplicita. Porro clysteres irritantes parati: ex floribus sam-

buci, chamomillae, menthae, melissae, rutae, cum duobus cochlearibus salis communis, vini, vel spiritus vini, ex aceti una et duabus aquae partibus. Denique qua summe salutare: ex in fuso nicotianae; aut ejus fumo paratum, sed cautissime adhibendum clyisma.

§. 60.

Prout Apop. sangvinea, a sangvinis copia vasa cerebri nimium distendentis, aut inter cava ejus effusi nomen recipit, ita SEROSA vel a sero sive pituita, sive aqua eadem opplentè aut inundante, desumit. Et quamvis non semper aqua, serum aut pituita intra calvariam in apoplectico-rum capite reperta, pro causa Apop. haberi possit, quia saepe Apop. ex alia causa profectam seri effusio, ut effectus subsequitur. Certis tamen ex observationibus constat, ab aquoso etiam, colluvie eam quandoque progenitam. Nec tamen semper magna ejus copia requiritur, sed videtur sufficere, eam licet parcam, acrem tamen existere, irritandique potentia praeditam, nam illius acritudine Encephalon, si minus convelli, ut autumabat MORGAGNIUS, pungi solum, irritari aut arrodi, potest ita, ut inde Apop. consequatur. Si acritudo defuerit, et exigua sit aquae quantitas, haec per se vix videtur ad Apop. provocandam sufficere, nisi aliae causae tam internae, quam externae concurrant, et cerebrum valide et cito attingant, obruantque. Verum tamen est, serum exigua quantitate Apop. inducendae saepe parem esse posse, dum modo uno quasi ictu, et subitanea effusione, in ventriculis coacervetur, aut circa cerebrum,

sub meningibus repente effundatur. Tunc enim non quantitas sed insveta et subita compressionis aut distentionis vis non levem meretur considerationem. Contra dum lenta seri collectio insensibili fere effusione fiat, mirum non est, cerebrum multo copiosoque liquore gravari posse, quin Ap. procreetur. Hoc maxime in hydrocephalo locum habet, ubi cerebrum lentam, et paulatim factam pressionem aut distentionem, facile ferri posse, compertissimum est. Ultra a sero aut pituita Ap. esse, docent: temperamentum phlegmaticum, habitus corporis cachecticus et decolor, aetas senilis, causae humoris serosi copiam augentes, accessio non ita subita, uti in sanguinea, facies pallida, et tumida, venarum collapsus, membrorum flacciditas, et frigus, respiratio impeditior, stertor et sibillus major pulsus depressus, tardus, parvus, rarus, inaequalis, atque intermittens — Anteeunt saepe vertigo, imprimis pomeridiana et nocturna, torpores hebetudines, balbuties et sopor. Item qui in hujus modi morbum incidunt, non illico vocis et linguae usu privantur; oculos atque os subinde aperiunt, magnamque ex iis lymphae copiam emittunt.

§. 61.

Cognito morbo, omnibus illico armis quibus convenit, morbus oppugnandus erit. A tempore quo mali natura proximius perspecta est, diversissima remedia laudantur, quorum efficaciora sunt: Calomel, digitalis purpurea, Althea, ononis spinosa, praeparata sambucina. Externe depletio sanguinis, Universalis vel localis, clysmata irritantia,

frigida, et excitantia fomenta, sinapismi, vesicantia, pediluvia tepida. Cl. PLENK laudat, ut interne unum alterumve granum Calomelis porrigatur, brachiis drach. semis Ungven. hydrar. cinerei inungatur, caput aceto scillitico abluatur. Si tamen Medicus securissime in opere suo procedere cupit, ante omnia maximum respectum causarum excitantium habebit; igitur post vulnus capiti illatum, hujus idoneam therapiam suscipi et manus chirurgi; si suppressa aliqua excretio malum produxerit, haec convenientibus remediis restituenda est. Unde haemorrhoidum menstruorum fluxus suppressus, pediluvii, semicupiis, venae sectionibus, impede institutis, hirudinibus et cataplasmatibus ad perinaeum et partes vicinas adhibitis, aliisque auxiliis indicatis revocandae sunt. Exanthemata et impetigines retrocessae, per insitionem artificialem revocantur; remediis cutim fortiter irritantibus, adhibitis simul balneis, et medicaminibus cutim specificè adficiendis. Si cutis functio laesa, morbum sistat, haec corrigenda, dum retardatur in syst. Venae portarum circulus, is accelerandus, actio vero canalis intestinalis in expellendas faeces incitanda. Ubi narcotica assumpta morbum producant, praemissa, si phaenomena congestionis versus cerebrum adsint, depletione sanguinis, ab emeticis, terminato vomitu, a reliquis convenientibus antidotis, exspectatur levamen. Praesente saburra verminosa, non solum vermes necandi et exterminandi erunt, sed etiam reproductionis processus corrigendus est.

§. 62.

Ubi causae aegritudinis non sciuntur, aut removeri nequeunt, vel licet amotis, malum tamen persistit, varia desiderantur auxilia. Omnium primo idoneum regimen diaeteticum studiose servandum est. Aër sit purus, moderate et aequabiliter calidus, potius tamen frigidiuscula. Aegris summa quies concedenda, decumbant in lecto, ex stragulis non calefacientibus confecto, ita, ut Caput paululum altius locatum sit, dum motus aliqui exoptantur, ii maxima cum cautela et circumspectione fiant. Victus fit vegetabilis, tenuior, absit omnis stimulantium usus, et eorum quae morbum exasperare sciunt. Exhibeantur potus mucilaginosi; aquosi saporis gratia, admiscantur acida vegetabilia uti: succus citri, acetum vini genuinum, cum sacharo aut syrupo. Alimenta sint juscula tenuissima, ex cremore hordei, oryzae, fructibus horreis, coctis.

§. 63.

Ad haec diaetetica auxilia, magnum respectum merentur pharmaca, nam nisi adequatae his satisfiat, omnia incassum erunt. Huc autem numerantur: calomel, et remedia emollientia antiphlogistica, derivantia, antagonisticè agentia. Congrua Calomelis dosis, Canalem intestinale merrigit, humorum propensionem in coagulum exsuperantem imminuit, coagulata jam lympham solvit, resorptionem humorum, et motum per lymphatica vasa atque capillaria intendit, et per sti-

mulum antagonisticum; exsuperantem cerebri actionem comescit. Definatur autem dosis ejus, per majorem vel minorem receptivitatem organismi, irritabilitatem tubi intestinalis, atque variam aetatem. Post Calomel, multum utilitatis adferunt, emollientia et mucilaginosa, ob mutationem quam contextui organico inferunt. Organismum enim animale m haud aliquo agrediuntur stimulo, processus vitalis comescunt fervorem, stimulos obtundunt, fibràm strictam relaxant, eo ipso sensibilitatem et ut dicunt receptivitatem pro stimulo moderant; hisque omnibus incitationis excessum temperant. Solent vero oleosa et mucilaginosa, tam ore assumi, quam praesertim, si alvus solvenda sit, per Clysteres injici. Adhibeantur itaque infusa, et decocta florum, herbarum, et radicum emollientium, emulsiones tenues, cum vel absque nitro, quod totius system. vasorum actionem praecipua vi debilitat, vasorumque excitationem, inde promanantem, comescit, et momento solutionis haustum, aestum corporis temperat.

§. 64.

Licet utile ac necessarium sit, curationem universalem, maxima cum industria adornare, neque tamen haec sola ad feliciter debellandum malum sufficiet. Nisi etiam simul apta therapia localis in auxilium vocetur; irritus in plurimis casibus erit conatus medentis. Requirit autem localis curatio, vasorum cerebri turgentium evacuationem vario modo instituendam. In malo recenti, ubi activa, humorum Congestio morbum sustentat, praecipue

evacuantia remedia desiderantur. Inter haec primum meretur locum sanguinis evacuatio; hac enim ratione systemati vasorum proprius et valentissimus subtrahitur stimulus, ut ad imminuendum vegetationis et incitationis excessum sanguinis detractio nullum existat remedium efficacius. Est autem sanguinis depletio rarius universalis, topica frequentius suscipienda. Universalis instituitur sectione cujusdam venae, indicatur autem in Individuis plethoricis, morbo celerrime incremente. Quantitas sanguinis mittendi et repetitionis necessitas definitur per morbi naturam, gradum, aegri habitum, nec non ipsius remedii effectum. Magis usitatus modus sanguinem evacuandi, habetur in applicatione hirudinum. Aponuntur autem hirudines vel ad regionem supraorbitalem vel temporalem vel retro aurim. Numerus vero earum petitur a diversa earum magnitudine, et a diverso morbi gradu. Porro remediis antiphlogisticis adscribuntur epithemata frigida, capiti adponenda. Actione enim frigoris localis orgasmus protinus compeccitur, humoribus impellentibus obstaculum ponitur, atque per tempus longius adplicatum, fervor vitalis, in toto moderatur systemate vasorum. Optime adhibemus linteamina quadruplicia, oxycrato, aqua frigida, nivibus aut glacie inbuta, cranio imponendo, reliquo corpore moderate tecto. Usus autem frigoris diligenter renovatus indicatur, donec effectus faustus, soporosus nimirum adse redeat, quem plerique conspexerunt Medici (conradi, Hufeland) Porro pediluvia tepida cum sale aut cineribus aut farina seminum sinapis, humorum derivationem a capite, inferiora

versus multum adjuvant; adhibentur bis terve per nyctemeron, adplicitis illo tempore fomentis frigidis in capite. Majorem efficaciam in hoc malo ostendunt synapismi, plantis pedum, suris, vel nuchae adpositi, eoque relictis, donec effectum exeruerint proprium et vesicantia, quae imprimis subjectis conveniunt parum sensibilibus, phlegmaticis, minime diathesi stenica instructis, imponuntur vero praesente indicatione, suris, brachiis, Cervici, aut pluribus simul locis. Cl. SVIETENNIUS commendat partes 9 emplastri melilothi cum una parte emplas. Vesicatorii super linteam extensa, Cuti Capillatae Capitis, Crinibus prius forfice resectis, non autem novacula derasis, applicanda; sic leniter irritatur cutis, parum rubescere incipit, nec tamen elevatur epidermis in vesiculas, cum parca tantum emplas. vesicatorii quantitas addita fuerit, et ob pilorum forfice tantum rescissorum, reliquias emplastrum non tangat Cutim immediate. Hac methodo feliciter se usum fuisse affirmat; imprimis in illis casibus, in quibus Cutis Capitis, ulcerosa et manans, exsiccantibus remediis adhibitis, imprudenti Consilio, subito curata fuerat, et morbum hunc produxerat.

§. 65.

Inter sequelas quas Apoplexia post se trahit principem sibi locum Paralysis vindicant, et vitia quae sensim sensimque nascuntur, in hominibus qui Ap. jam perpesi sunt passim in his radicanur; Vitia haec singillatim Considerare est extra arctissimos limites, dissertationis hujus, positum esse

quisque lubenter concedet, de his igitur solum pauca adnotare sufficiat. Numerosa sunt remedia quae a variis practicis in paralyisibis encomiis extolluntur plus minus efficacia, quo imprimis stimulantia volatilia uti: Arnica, valeriana, camphora, moschus, ammonia, aetheres, phosphorus et acria: uti praecipue cantarides, alii in Galvanismo et Electricitate nec non in frictionibus panno, setaceo, peractis urticationibus salutem querunt, nec raro Conamina eorum felici coronantur eventu, maximam tamen inter varia huic morbo opposita specifica, nux vomica nacta est dignitatem, et praecipue praeparatum recentissimorum chemicorum industria inde eductum quod Strichnin vocant. Effectus ejusdem juxta Cl. Professoris MAGENDIE in sequentibus fere consistunt: in majori sys. vasorum activitate, caloris naturalis evolutione et majoris sensibilitatis ad partem adfectam derivatione, ex formicationis, puncturae, ustionis etc. sensu cognoscenda. Magnam tamen hoc remedium requirit Circumspectionem, nec in aliis quam in subjectis torpidis, laxis, et aliis remediis frustratentatis eandem substantiam summe utique venenatam adhibere licet, et illico ab usu ejus desistendum, quam primum ventriculi dolores Constrictiones aut vomituritiones comparuerint, aut vertigines et oculorum Calligines se stiterint, atque excitatae turbae remediis oleosis ac mucilaginosi componendae. Adhibetur nux vomica ab initio a 16ta grani parte, semel aut bis de die, successive tamen a quibusdam Practicis Medicis ad grana tria imo quatuor cum laudabili effectu exhibetur.

Quod regimen ac diaetam attinet, haec in variis Apoplexiae speciebus, summopere discrepat, pro vario morbi caractere, gradu, forma, intensitate et sic porro variat, quae omnia ex iis facile desummi poterunt, quae sub ejusdem cura prophylactica dicta sunt.

Scribendam Pesthini in Novembri et Decembri
Anno 1832.

